

non intellexeram; quod mea quædam illius temporis etiam scripta testatur (5). Non mihi enim videbatur Apostolus et de se ipso dicere potuisse. « Ego autem carnalis » sum, cum esset spiritualis<sup>1</sup>: » et quod captivus ducetur sub lege peccati, quæ in membris erat ejus. Ego enim putabam dici ista non posse, nisi de iis quos ita haberet carnis concupiscentia subjugatos, ut facerent quidquid illa compelleret; quod de Apostolo dementis est credere: cum etiam innumerabilis multitudo sanctorum, ne concupiscentias carnis perficiat, contra carnem spiritu concupiscat. Sed postea melioribus et intelligentioribus cessi, vel potius ipsi quod fatendum est veritati, ut viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse sanctorum contra carnales concupiscentias dimicantium. Qui cum mente sint spirituales, adhuc tamen isto corruptibili corpore quod aggravat animam<sup>2</sup>, recte intelliguntur esse carnales; quia erunt et corpore spirituales, quando seminatum corpus animale, resurget corpus spiritale<sup>3</sup>: et recte adhuc intelliguntur ea parte captivi sub lege peccati, quæ desideriorum, quibus non consentiunt, motibus subjacet. Hinc factum est ut sic ista intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, et cæteri Ecclesiæ sancti notique doctores, qui et ipsum Apostolum adversus carnales concupiscentias quas habere volebat, et tamen habebat, strenue conflixisse, eundemque conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt. Contra quos motus, prius utique debellandos ne dominantur, et postea sanandos ut penitus extinguantur, etiam ipse gloriosa certamina sanctos exercere confessus es. Simul itaque cognoscamus verba pugnantium, si pugnamus. Hoc enim modo non vivimus nos, sed vivit Christus in nobis, si et ad pugnam contra concupiscen-

<sup>1</sup> Rom. vii, 14 et 23. — <sup>2</sup> Sap. ix, 15. — <sup>3</sup> 1 Cor. xv, 44.

tias exercendam, et ad victoriam usque ad consumptionem eorumdem hostium capessendam, in illo fidimus, non in nobis: « Ipse quippe factus est nobis sapientia a » Deo; et justitia, et sanctificatio, et redemptio, ut quem » admodum Scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glo » rietur<sup>4</sup>. »

LXXI. « Non est ergo contrarium, sicut putas, ut qui dicit, « Vivo non ergo jam, vivit vero in me Chris » tus<sup>1</sup>, » dicat etiam, « Scio quia non habitat in me, » hoc est, in carne mea bonum<sup>2</sup>. » In quantum quippe in illo vivit Christus, in tantum expugat et superat quod non habitat bonum in ejus carne, sed malum. Neque enim recte cujusquam spiritus concupisceret adversus carnem suam, nisi habitaret in illo Spiritus Christi. Absit ergo ut dicamus, quod nos dicere insimulas, « Apostolum sic ista dixisse, quasi qui se vellet intelligi renitentem, in scorta aliqua manu pestiferæ voluptatis abduci: » cum dicat, « Non ego operor illud<sup>3</sup>, » ostendens concupiscentias carnis solum impulsu libidinis operari, sine consensione peccati.

LXXII. Quid est, quod « In Judæorum superbiam frustra conaris ista verba transferre, tanquam ipsos in se transfiguraverit Apostolus, qui contemnebant dona Christi, velut sibi non necessaria? » Sic enim suspicaris: atque utinam ipsa dona Christi saltem ita saperes, ut ad vincendam concupiscentiam valere aliquid crederes. Sed ideo dicis a Judæis fuisse contempta, « Quod veniam daret ille peccatis, quæ ipsi legis admonitione vitassent. » Quasi hoc conferat homini remissio peccatorum, ut caro non concupiscat adversus spiritum, unde illa verba nata sunt: « Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne

<sup>1</sup> 1 Cor. i, 30, et Jerem. ix, 23. — <sup>2</sup> Galat. ii, 20. — <sup>3</sup> Rom. vii, 18, — <sup>4</sup> Ibid. 20.

» mea bonum<sup>1</sup> : » et cætera hujusmodi. Verum tu a vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata et desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui ab illo datus est nobis<sup>2</sup>. Neque consideras eum qui dicit, « Video aliam legem in membris meis repugnantem legi » mentis meæ<sup>3</sup> ; » et ab hoc malo non se liberari clamat, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum; nec Judæum esse, nec quia peccavit, sed ne peccet potius laborare.

LXXIII. « Exaggerat, inquit, Apostolus vim consuetudinis. » Tu ergo responde, utrum contra istam vim non dimicet baptizatus? Quod si negas, omnibus christianis sensibus contradicis: si autem dimicet, cur non in verbis Apostoli vocem dimicantis agnoscis? « Per legem, inquis, bonam et per mandatum sanctum pravorum animi ferocierant; quoniam sine voluntate propria nulla eruditio poterat inspirare virtutem. » O acutum intellectorem! O divinarum eloquiorum egregium tractatorem! Quid agis de verbis dicentis, « Non quod volo » ago : » et, « Velle adjacet mihi : » et, « Quod nolo hoc » ago : » et, « Condelector legi Dei secundum interiorum » hominem<sup>4</sup> ? » Audis hæc, et dicis, quia voluntas defuit, ideo defuisse virtutem. Quid quod non solum voluntas, verumetiam virtus adfuit, ne consentiret concupiscentiæ carnis, quæ legi peccati pravis ipsis motibus serviebat? Quibus ille non cedens, nec arma iniquitatis exhibens membra peccato, et tamen quod nollet sentiens in carne contra spiritum concupiscente<sup>5</sup>, et adversus eam vicis-

<sup>1</sup> Galat. v, 17. — <sup>2</sup> Rom. v, 5. — <sup>3</sup> Id. vii, 23. — <sup>4</sup> Id. xix, 18, et xvi, 22. — <sup>5</sup> Id. vi, 13.

sim spiritu concupiscens, verissima castitatis voce dicebat, « Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem » legi peccati<sup>1</sup>. » Illa sane verba quæ posuisti, ubi ait Apostolus, « Lex sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum; quod ergo bonum est, mihi factum est » mors? Absit: sed peccatum ut appareat peccatum, » per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra » modum peccatum peccans per mandatum<sup>2</sup> : » bene intelligitur de vita sua dixisse præterita, quando sub lege fuerat, nondum sub gratia. Nam et verbis præteriti temporis utitur, dicendo, « Peccatum non cognovi, nisi per » legem : et, Concupiscentiam nesciebam : et, Opera- » tum est in me omnem concupiscentiam : » et, « Vive- » bam aliquando sine lege; » utique quando nondum poterat usum habere rationis : et, « Adveniente mandato » peccatum revixit, ego autem mortuus sum : » et, « Pec- » catum occasione accepta per mandatum fefellit me, et » per illud occidit : » et, « Per bonum mihi operatum » est mortem<sup>3</sup>. » His omnibus tempus significare intelligitur, quo sub lege vivebat, et nondum adjutus gratia concupiscentiis carnalibus vincebatur. Ubi vero jam dicit, « Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum<sup>4</sup> : » jam quod conflagens patiebatur ostendit. Non enim dixit, carnalis fui, vel eram; sed, sum. Et apertius tempora ipsa distinguit, ubi dicit, « Nunc autem jam non ego » operor illud, sed id quod in me habitat peccatum<sup>5</sup>. » Jam enim motus desideriorum malorum non ipse operabatur, quibus non consentiebat ad perpetranda peccata. Peccati autem nomine quod in illo habitabat, ipsam nuncupabat concupiscentiam; quia peccato facta est, et si consentientem traxerit atque illexerit, concipit paritque

<sup>1</sup> Rom. vii, 25. — <sup>2</sup> Ibid. 12, 13. — <sup>3</sup> Ibid. 7, et seqq. — <sup>4</sup> Ibid. 14. — <sup>5</sup> Ibid. 17.

peccatum. Et cætera usque ad eum locum, ubi ait: « Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi » peccati<sup>1</sup>, » verba sunt jam sub gratia constituti, sed adhuc contra concupiscentiam suam dimicantis, nec ei consentientis ut peccet; sed tamen quibus renititur, peccati desideria patientis.

LXXIV. Nemo nostrum substantiam corporis, nemo naturam carnis accusat: frustra purgatur abs te, quod non culpatur a nobis. Concupiscentias malas, quibus si bene vivimus non consentimus, tamen esset non negamus in nobis, castigandæ sunt, frenandæ sunt, expugnandæ sunt, vincendæ sunt: tamen sunt, nec alienæ sunt. Nec bona ista nostra, sed mala sunt. Nec sicut dicit Manichæa vanitas, separata extra nos erunt: sed sicut dicit catholica veritas, sanata, non erunt.

LXXV. De illis quoque apostolicis verbis, in quibus impudentia mirabili, imo dementia, resistitis fundatissimæ fidei, ubi ait, « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes » homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt<sup>1</sup>: » frustra sensum alium novum atque distortum et a vero abhorrentem moliris exculpere, affirmans « Ea locutione dictum esse, In quo omnes peccaverunt; ac si diceretur, Propter quod omnes peccaverunt: sicut dictum est, » In quo corrigit junior viam suam<sup>2</sup>: » ut scilicet, non in uno homine omnes homines peccasse intelligantur originaliter, et tanquam in massæ unione communiter; sed propterea quia primus hominum ille peccavit; id est, cum imitantur illum, non cum generantur ex illo. Non ergo huic sensui convenit illa locutio, ita dictum esse, « In quo, » velut dictum esset, « Propter quod. » Nam propter hoc quisque peccat, quod sibi proponit ut pec-

<sup>1</sup> Rom. vii, 25. — <sup>2</sup> Rom. vii, 12. — <sup>3</sup> Psal. cxviii, 9.

cet, vel quoquo modo quod illi est causa peccandi. Quis vera ab omni humano sensu tam sit absurdus, ut dicat, Propter hoc fecit homo iste homicidium, quia in paradiso Adam de ligno prohibito cibum sumpsit; cum iste latrocinando occiderit hominem nihil de Adam cogitans, sed propter hoc ut aurum quod ferebat auferret? Sic et cætera cuncta peccata, quæ propria quisque committit, habent causas propter quas fiunt, etiam si nemo cogitet quod ille primus homo commisit, neque illud sibi ad peccandum proponat exemplum. Propter hoc itaque, id est, quoniam peccavit Adam, nec ipse Cain peccasse dicendus est, qui eundem patrem suum noverat. Propter quid enim fratrem suum occiderit, notum est: quia non propter hoc quod perpetravit Adam, sed quia bono ejusi nvidit.

LXXVI. Denique nec ipsa tibi ad hunc vestrum sensum quæ posuisti testimonia suffragantur. Recte enim dicitur, « In quo corrigit junior viam suam: » propter quid corrigit? quoniam sequitur, « In custodiendo verba » tua<sup>1</sup>. » Propter hoc enim corrigit viam suam, quia verba Dei sicut cogitanda sunt cogitat, et cogitando custodit, custodiendo recte vivit. Ipsa ergo illi causa est ut viam suam corrigat, quia Dei verba custodit. Et quod ait beatissimus Stephanus, « Fugit Moyses in verbo hoc: » bene intelligitur, « Propter verbum hoc<sup>2</sup>: » quia hoc audivit, hoc timuit, hoc cogitavit ut fugeret, hæc illi fuit causa fugiendi. Numquid in his locutionibus aliquid dictum est, quod pertineat ad imitationem, qua sic alterum alter imitatur, ut eum omnino non cogitet: et ideo nullo modo dici possit propter hoc peccasse, quia ille peccavit, in quo nec originaliter fuit, nec de illo quidquam in peccato proprio cogitavit?

<sup>1</sup> Psal. cxviii, 9. — <sup>2</sup> Act. vii, 29.

LXXVII. « Sed, inquis, si de peccati traduce loquebatur, nusquam congruentius diceret. Ideo pertransiit peccatum, quia omnes sunt de conjugum voluptate generati: et adderet, In eo transiit, in quo ex tabida primi hominis carne fluxerunt. » Nec vides eodem modo tibi posse dici, Si de imitatione peccati Apostolus loquebatur, nusquam congruentius diceret, Ideo pertransiit peccatum, quia primi hominis præcessit exemplum: et adderet, In eo transiit, in quo omnes illius unius imitatione peccaverunt. Aliquo enim duorum istorum modo loqueretur Apostolus hoc loco, si ad tuum vel meum loqueretur arbitrium. Quia ergo nec illud dixit quod tu, nec illud quod ergo; numquid vis ut credamus in his ejus verbis, nec originale secundum catholicos, nec imitatorium secundum Pelagianos intelligendum esse peccatum? Puto quod nolis. Remove igitur ista quæ possunt ex utraque parte momenti æqualibus dici, et si tibi placet sine contentione quid Apostolus dixerit intueri, adverte, ut hoc diceret, quid agebat: et invenies per unum hominem iram Dei super humanum genus, et per unum hominem reconciliationem Deo eorum qui ex damnatione totius generis liberantur gratis. Ille est primus Adam factus ex terra, iste est secundus Adam factus ex foemina. Sed ibi per Verbum caro facta est, hic autem ipsum Verbum caro factum est; ut per ejus mortem vivamus, quo relicto mortui fueram. « Commendat, inquit, suam » charitatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est: multo » magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus, » ab ira per ipsum<sup>1</sup>. »

LXXVIII. De hac ira dicit: « Eramus et nos natura » filii iræ, sicut et cæteri<sup>2</sup>. » De hac ira dicit Jeremias

<sup>1</sup> Rom. v, 8. — <sup>2</sup> Ephes. ii, 3.

propheta: « Maledictus dies in quo natus sum<sup>1</sup>. » De hac ira dicit sanctus Job: « Pereat dies ille in quo natus » sum<sup>2</sup>. » De hac ira item dicit idem ipse: « Homo enim » natus ex muliere, brevis vitæ, et plenus iracundiæ, sicut » flos fœni decidit, fugit autem sicut umbra, et non » stabit<sup>3</sup>. Nonne et hujus curam fecisti, et hunc fecisti » intrare in conspectu tuo in iudicium? Quis enim erit » mundus a sordibus? Ne unus quidem, etiam si unius » diei fuerit vita ejus super terram<sup>4</sup>. » De hac ira dicit liber Ecclesiasticus: « Omnis caro sicut vestis veterascit; » testamentum enim a sæculo, morte morieris<sup>5</sup>. » Itemque ipse: « A muliere, inquit, initium est peccati, et » propter illam morimur omnes<sup>6</sup>. » Et alio loco: « Occu- » patio magna creata est omni homini, et jugum grave » super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, » usque in diem sepulturæ in matrem omnium<sup>7</sup>. » De hac ira dicit Ecclesiastes: « Vanitas vanitatum, et omnia » vanitas. Quæ abundantia homini in omni labore suo, » quo ipse laborat sub sole<sup>8</sup>? » De hac ira vox apostolica est: « Omnis creatura vanitate subjecta est<sup>8</sup>. » De hac ira plangit Psalmus: « Ecce veteres posuisti dies meos, et substantia » mea tanquam nihilum ante te, verumtamen universa » vanitas omnis homo vivens<sup>9</sup>. » De hac ira plangit et alius: « Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. » Mane sicut herba transeat, mane floreat et prætereat, » vespere decidat, durescat, et arescat. Quoniam defeci- » mus in ira tua, et in indignatione tua conturbati su- » mus. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, » sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. Quoniam » omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus. » Anni nostri sicut aranea meditabuntur<sup>10</sup>. »

<sup>1</sup> Jerem. xx, 14. — <sup>2</sup> Job. iii, 3. — <sup>3</sup> Id. xiv, 1, juxta lxx. — <sup>4</sup> Eccli. xiv, 18 et 12. — <sup>5</sup> Id. xxv, 33. — <sup>6</sup> Id. xl, 1. — <sup>7</sup> Eccl. i, 2. — <sup>8</sup> Rom. viii, 20. — <sup>9</sup> Psal. xxxviii, 6. — <sup>10</sup> Id. lxxxix, 5, et seqq.

LXXIX. Nemo liberatur ab hac ira Dei, nisi per Mediatorem reconcilietur Deo. Unde dicit etiam ipse Mediator: « Qui non credit Filio, non habebit vitam; sed » ira Dei manet super eum<sup>1</sup>, » Non dixit, veniet, sed, manet super eum. Ideo ergo credunt atque confitentur et majores per cor et os proprium, et parvuli per alienum, ut reconciliantur Deo per mortem Filii ejus, ne ira Dei maneat super eos, quos etiam origo vitiata efficit reos. De hac itaque re loquens Apostolus, « Cum adhuc, » inquit, peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, » multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius: » non solum autem, sed et gloriantes in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et nunc reconciliationem accepimus. Propter hoc sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, » in quo omnes peccaverunt<sup>2</sup>. » Nempe manifestum est, ut hoc diceret, quid agebat Apostolus. Itē adhuc, et huic reconciliationi, quæ fit per mortem Filii Dei, qui sine peccato venit in mundum, subtrahite parvulos, ut propter eum per quem peccatum intravit in mundum, ira Dei maneat super eos. Quid hic facit imitatio, quæ te, ubi audis, « Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem<sup>3</sup>. » Unde gratia ex multis delictis in justificationem; nisi quia præter unum illud originis, addita multa quæ simul deleret invenit? Alioquin sic esset ex multis condemnatio, quæ homines unum imitando commiserant; sicut ex eisdem multis justificatio, quibus remissis in

<sup>1</sup> Joan. III, 36. — <sup>2</sup> Rom. v, 8, et seqq. — <sup>3</sup> Ibid. 16.

gratiam respirabant. Sed quia unum illud sufficiebat, propter quod etiam solum fieret condemnatio; gratiæ vero non sufficiebat illud unum delere, sed et multa quæ adjecta sunt, ut omnium remissione fieret justificatio: ideo utique dictum est, « Judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. » Nam sicut non imitantur Christum parvuli, quia nondum possunt, et tamen ad ejus gratiam spiritalem pertinere possunt: ita sine imitatione primi hominis, contagione tamen ex ipso carnalis generationis obstricti sunt. Si autem propterea vis eos a primi hominis alienos esse peccato, quia eum non sunt imitati propria voluntate: ista ratione alienabis eos et a justitia Christi, quia nec ipsum imitati sunt propria voluntate.

LXXX. « Cum vero multos, quod dixit postea; non vis intelligi omnes, quod prius dixerat; Ideo existimans dictum fuisse multos, ne omnes intelligerentur: » poteris hoc dicere et de semine Abrahamæ, cui promissæ sunt omnes gentes, non omnes gentes ei fuisse promissas; quia dictum est alio loco, « Patrem multarum gentium posui te. Est autem sanus intellectus, ideo sic locutam Scripturam<sup>1</sup>, quia possunt esse aliqua omnia, quæ non sunt multa: sicut omnia dicimus Evangelia, et tamen brevi numero, id est, quaternario continentur. Et rursus possunt aliqua esse multa, non tamen omnia: sicut multos dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt. « Non enim omnium est fides<sup>2</sup>. » ait Apostolus. Quod autem dictum est, « In semine tuo benedicentur » omnes gentes<sup>3</sup>: » et, « Patrem multarum gentium posui te<sup>4</sup>: » easdem omnes, multas; et easdem multas, omnes esse monstratum est. Ita etiam cum dictum est,

<sup>1</sup> Gen. xxii, 18, et xvii, 5. — <sup>2</sup> 2 Thess. III, 2. — <sup>3</sup> Gen. xxii, 18. — <sup>4</sup> Id. xvii, 5.

« Per unum in omnes transisse peccatum ; » et postea,  
 « Per unius inobedientiam peccatores constitutos mul-  
 » tos<sup>1</sup> : » ipsi sunt multi, qui et omnes. Similiter cum  
 dictum est, « Per unius justificationem in omnes homines,  
 » ad justificationem vitæ : » et rursus dictum est, « Per unius  
 » obedientiam iusti constituentur multi : » non aliquibus ex-  
 ceptis, sed eosdem multos, omnes oportet intelligi : non  
 quia omnes homines justificantur in Christo ; sed quia  
 omnes qui justificantur, non aliter possunt justificari  
 quam in Christo<sup>2</sup>. Sicut possumus dicere, in aliquam  
 domum per unam januam intrare omnes ; non quia om-  
 nes homines intrant in eandem domum, sed quia nemo  
 intrat nisi per illam. Omnes ergo ad mortem per Adam,  
 omnes ad vitam per Christum. « Quia sicut in Adam om-  
 » nes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur<sup>3</sup> : »  
 id est, ex prima origine generis humani nemo ad mortem  
 nisi per Adam, et nemo per Adam nisi ad mortem : et  
 nemo ad vitam nisi per Christum, et nemo per Christum  
 nisi ad vitam.

LXXXI. Vos autem dum non omnes, sed multos, sive  
 per Adam condemnatos esse, sive per Christum liberatos  
 vultis intelligi, horrenda perversitate Christianæ religioni  
 estis infesti. Si enim salvi erunt aliqui sine Christo, et  
 justificantur aliqui sine Christo ; ergo Christus gratis mor-  
 tuus est. Erat enim et alius modus, sicut vultis, in na-  
 tura, in libero arbitrio, in lege naturali, sive conscripta,  
 quo possent salvi et iusti esse qui vellent. Justas autem  
 imagines Dei, quis nisi injustus prohiberet a regno Dei ?  
 Hic forte dicis : Sed facilius per Christum. Numquid non  
 posset etiam de lege dici : Est per legem iustitia, sed faci-  
 lius per Christum ? Et tamen ait Apostolus : « Si per le-

<sup>1</sup> Rom. v, 12. — <sup>2</sup> Vide supra lib. 1. de Peccatorum meritis, cap. 28. —  
<sup>3</sup> 1 Cor. xv, 22.

» gem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est<sup>4</sup>. » Non  
 est itaque præter unum mediatorem Dei et hominum ho-  
 minem Christum Jesum<sup>2</sup>, aliud nomen sub coelo, in quo  
 oporteat salvos fieri nos<sup>3</sup>. Et ideo dictum est : « In  
 » Christo omnes vivificabuntur<sup>4</sup> : » quoniam in illo Deus  
 definivit fidem omnibus suscitans illum a mortuis<sup>5</sup>. Ves-  
 trum autem dogma id persuadere conatur, velut incul-  
 patæ prædicatione naturæ, et potentiæ liberi arbitrii, et  
 legis sive naturalis sive per Moysen datæ, ut et si opus  
 sit, necesse tamen non sit ad Christum pro æterna salute  
 transire : eo quod per sacramentum mortis et resurrec-  
 tionis ejus, (si tamen vel hoc putatis), commodior via  
 sit, non quod alia via esse non possit. Unde quantum  
 vos detestari debeant Christiani, considerantes renuntiate  
 vobis etiam tacentibus nobis.

LXXXII. Quod vero causæ tuæ postremum et quasi  
 fortissimum firmamentum, propheticum testimonium esse  
 voluisti, ubi per Ezechielem dictum legimus : « Quod non  
 erit parabola, qua dicebant, parentes uvas acerbis edisse  
 et dentes obstupuisse filiorum<sup>6</sup>, nec morietur filius in pec-  
 cato patris, nec pater in peccato filii, sed anima quæ  
 peccat ipsa morietur : non intelligis hanc esse promissio-  
 nem Testamenti Novi, et spiritalis hæreditatis ad al-  
 terum sæculum pertinentis. Id enim agit gratia Redemp-  
 toris, ut paternum chirographum deleat, et unusquisque  
 pro se rationem reddat<sup>7</sup>. Cæterum quam multa sint di-  
 vinarum testimonia Litterarum, quæ parentum peccatis  
 obligant filios, numerare quis possit ? Cur enim peccavit  
 Cham, et in ejus filium Chanaan vindicta prolata est<sup>8</sup> ?  
 Cur pro peccato Salomonis filius ejus diminutione regni

<sup>4</sup> Galat. ii, 21. — <sup>2</sup> 1 Tim. ii, 5. — <sup>3</sup> Act. xv, 12. — <sup>4</sup> 1 Cor. xv, 22. —  
<sup>5</sup> Act. xvii, 31. — <sup>6</sup> Ezech. xviii, 2. — <sup>7</sup> Coloss. ii, 14. — <sup>8</sup> Gen. ix, 22  
 et 25.